

Ce texte a été établi à partir de deux éditions de l'oeuvre poétique de Buchanan : celle publiée à Amsterdam en 1641 chez Johannes Iansonium et celle, hollandaise également, parue chez Arnoldus Langerak, en 1725.

v.1 Unde novus rigor in vultu ? Tristisque severis  
 2 frons caperata minis, tardique modestia gressus ?  
 3 Illaque frenatae constans custodia linguae ?  
 4 Quo lepor et risus abiere, salesque venusti ?  
 5 Nec pila delectat, nec rauci in pulvere circi  
 6 fletere cornipedem, volucrem nec ducere visco,  
 7 nec leporem canibus, nec certo cominus ictu  
 8 figere ramosi vivacia pectora cervi ?  
 9 Saepe mihi humanae meditati incommoda vitae,  
 10 spesque leves, trepidosque metus, vanosque labores,  
 11 gaudiaque instabili semper fucata sereno,  
 12 (non secus ac navis lato jactata profundo,  
 13 quam venti, violensque aestus, canusque magister  
 14 in diversa trahunt) tuto sub ducere portu  
 15 decretum quodcumque mihi superesse fugacis  
 16 fata sinent aevi, sanctisque impendere curis  
 17 finem animae, et stolidae lacrimis commissa juventae  
 18 abluere insani citra commercia mundi.  
 19 O sanctum festumque diem ! cum cannabe cinctus,  
 20 obrasumque caput duro vellante cucullo,  
 21 auspiciis, Francisce, tuis, animo insitus astris,  
 22 praecipiam aetheriam terreno in corpore vitam.  
 23 Hic scopus, haec meta est, plenis huc tendere velis  
 24 mens avet, ut stabili tandem statione potita,  
 25 irrita fallacis fugiat ludibria mundi.  
 26 Si tibi propositum est sanctae compendia vitae  
 27 carpere per virtutis iter, nucibusque relictis  
 28 exserere immersam caeca caligine mentem, et  
 29 ad fontes penetrare bono, tenebrisque remotis  
 30 tollere perspicuos animi ad caelestia visus,  
 31 vota quidem laudo et magnis congratulor ausis ;  
 32 sed si degeneris recti seduceris umbra,  
 33 et sequeris vanum transverso tramite fastum,  
 34 dum tempus te resque sinit, cecinisse receptum  
 35 ne pigeat, temere inceptos nec flectere cursus :  
 36 neu tu sinceri recteque monentis amici

37 despice consilium, nec te plus obsitus annis  
38 error, et insani moveant deliria vulgi,  
39 quam ratio simplex, et nullis oblita fucis,  
40 et veri inventrix ; sed nec me oppedere caelo  
41 crede, nec in divos redivivam attollere Phlegram.  
42 Namque ego sum teneris semper veneratus ab annis  
43 Pontifices, sanctosque patres, quos candida virtus  
44 reddidit aeterna dignos in saecula fama.  
45 Attamen haud quoties longo sub syrmate rasum  
46 cerno caput, tortum funem, latumque galerum,  
47 atque fenestratum soles captare cothurnum,  
48 cernere me Paulum credo ; nam veste sub illa  
49 saepe latent saevi truculenta mente tyranni,  
50 saepe latro, lurcoque vorax, et foedus adulter,  
51 et simulatus amor, fallaxque modestia vultus,  
52 quae regit innumeras sub ovillo vellere fraudes.  
53 Ergo cave ne te falso sub nomine mendax  
54 simplicitas fors transversum seducat, et illuc,  
55 unde referre pedem nequeat, trahat ; et puerum olim  
56 me quoque paene suis gens haec in retia mendax  
57 traxerat illecebris, nisi opem mihi forte tulisset  
58 caelitus oblata Eubuli sapientia cani.  
59 Et quoniam, ut video, morbo cruciaris eodem,  
60 sive nocens gramen, magicive potentia cantus,  
61 seu genii fraus forte mali tibi sustulit omne  
62 iudicium, saevo mentem excantante veneno,  
63 experiar furias purgamine mentis eodem  
64 expugnare tibi, quo me sine fine furentem,  
65 gaudentemque malis, indulgentemque furori,  
66 Eubuli eripuit divina scientia docti.  
67 Tu modo ne dubita, monitis nec certius istis  
68 esse puta insane quod ructavere Sibyllae.  
69 Ergo ubi lustrali novies te asperseris unda,  
70 signarisque novem crucibus, totiesque meracum  
71 hauseris helleborum, niveo cum flore revulsum  
72 moly tenens, memori quae dicam mente reconde.  
73 Haec licet a sanctis olim gens patribus orta,  
74 clara quidem niveo morum candore refulsit,  
75 implevitque sua venientia saecula fama ;  
76 at nunc posteritas, vera pietate relicta,  
77 degenerem quaestum sordesque secuta, caducas  
78 cogit opes, ficta sub relligione pudendos  
79 occultat mores, et famae innixa parentum  
80 seducit stolidum pietatis imagine vulgus.  
81 Et ne forte tibi praestringat lumina vanus  
82 splendor, et attonito velut ad spectacula vultu  
83 suspicias sanctae simulacra evanida vitae,  
84 eia, age, spectemus quid sit, quod vulgus, et ipsi  
85 Pontifices, rerum domini, summique Monarchae  
86 tantum admirentur ; quid raso vertice calvum  
87 conferat esse caput, quid longo syrmate talos  
88 usque tegi, soleasque aestivum admittere solem,  
89 et quae praetextu latitent portenda sub illo,  
90 quae monstra abscondat vestis sinuosa, quid artis  
91 vana superstitio mentes ut fascinet aegras,  
92 sit commenta, suas quam vendat callida nugas.

93 Principio huc omnes tamquam ad vivaria currunt,  
 94 queis res nulla domi est, quibus est irata noverca,  
 95 quos durus pater, aut plagosi dextra magistri  
 96 territat, aut legum timor, aut quos dedita somno  
 97 exercet nullis Lethaea ignavia curis ;  
 98 deinde quibus gelidus circum praecordia sanguis  
 99 obstitit ingenio, quos sacro a fonte Camenae,  
 100 quos Pallas Phoebusque fugat, quos sidere torvo  
 101 aspicit infausto volucer Tegeaticus ortu.  
 102 Hi cum infrugiferae spatium trivere juventae  
 103 Musarum in studiis frustra, jam mollibus umbris  
 104 sic fracti, nec bella pati, nec ducere remos,  
 105 nec terram incurvo norunt suspendere aratro.  
 106 Ergo famem adversus, violentaque frigora brumae,  
 107 hic sibi desidia portum, atque ignobilis otii  
 108 esse rati, huc properant ; illis custodia portae  
 109 creditur, ast aliis cura est commissa culinae ;  
 110 hic hortos fodit, hic viduas circumvenit ; illi  
 111 pinguius ingenium est, rus ibit, fallet agrestum  
 112 vulgus hebes, pueris fragrantia poma, puellis  
 113 amuleta dabit, tenero redimicula collo,  
 114 donec blanditiis, fabellisque admirandis  
 115 de larvis, deque empusis, et lumine cassis,  
 116 tandem captatum trahat in sua retia piscem.  
 117 Adde his quos febris, quos vexat dira phrenesis,  
 118 aut alius cerebri expugnator morbus : in ipsa  
 119 morte siti, cum jam medicus spondere salutem  
 120 desierit, longa stolidi vertigine jurant  
 121 se, quodcumque aevi placati numinis ira  
 122 jam deploratae dignetur jungere vitae,  
 123 in Franciscano victuros esse cucullo.  
 124 Hic aliquis sancta pietate paterculus ardens  
 125 protinus insternit sulcam cum cannabe vestem,  
 126 et caput exscalpit cerebrosum, et somnia blanda  
 127 garrit in auriculam, meritorum mille trecentos  
 128 promittit modios, venias inculcat, Olympum  
 129 defuncto spondet, vivo spondere paratus,  
 130 captatae potius quam vel semiuncia praedae  
 131 una brevis pereat. Tum spe lactatus inani  
 132 interea miser aegrotus jubet optima quaeque  
 133 deferri ad Monachos, argentea vasa, tapetas,  
 134 molliculas vestes, et quicquid venditur auro,  
 135 quatenus haud illis nudos fas tangere nummos.  
 136 Verum haec pinguiculis tenduntur retia turdis,  
 137 his caelum venale patet : si Codrus et Irus  
 138 pauper obit, cessat pietas, non cymbala clangunt,  
 139 naenia nulla sonat, serie nec candida longa  
 140 pompa praeit, nulla planguntur funera luctu.  
 141 Sed nec funigeræ minor est accessio turbae,  
 142 cum mens vesano inflammata cupidine vultum  
 143 affingit spernentis opes, vilique paratu,  
 144 incessuque gravi, et ficta probitate loquendi  
 145 seducit stolidam pietatis imagine plebem.  
 146 Nec prius ille furens animi satiabitur ardor,  
 147 ambitioque procax, donec cum fune cucullo  
 148 abjecto induerit regali tempora mitra,

149 et, quantum fas est mortali accedere caelo,  
 150 scandat, et in terris caelestes tractet habenas.  
 151 Sunt quoque qui sordes, foedosque hoc tegmine mores  
 152 posse latere putant, misero ut dent verba popello,  
 153 dum vitae infami speciosum obtexere vellum  
 154 contenti, introrsus pleni ambitionis et irae,  
 155 invidiae et fraudis, Christi praedentur ovile,  
 156 incautum occulto vulgus fallente veneno.  
 157 Adjice praeterea quos praeceps alea nudat,  
 158 quos Venus enervat, quos et potatio pernox  
 159 ejecit patriis laribus, quos urget egestas,  
 160 et quibus haudquaquam res sunt in amore secundae,  
 161 fastosaeque inopes exclusit limen amicae,  
 162 quos scelus infamat, vitae quos turpiter actae  
 163 insequitur metus, et quos urget tutor avarus,  
 164 huc velut ad tutum cunctis est cursus asylum.  
 165 Hoc procerum et numero crescit generosa propago  
 166 funigeri gregis ; hi patres quibus ille superbit  
 167 ordo sacer : seges haec orbis moderatur habenas.  
 168 Quos metus, ira, furor, mens tarda, ignavia, crimen,  
 169 ambitio, res adversae, fastidia vitae,  
 170 durus amor, durus pater, implacata noverca,  
 171 et mendax virtutis amor collegit in unum.  
 172 Namque velut quondam, cum res adversa premebat,  
 173 ad laqueum, ad praeceps, ad toxica, flumina, pontes,  
 174 atque truces gladios, caligantesque fenestras,  
 175 cursus erat, duram cupienti evadere fortem ;  
 176 sic modo cum sceleris pudor, aut formido severi  
 177 iudicis, aut gravior cunctis infamia poenis  
 178 urget, ad hunc scopulum Francisci in syrmate fune  
 179 cingimur. Et tamquam pariter cum vertice radi  
 180 mens etiam scelerata queat, de sacrilegis et  
 181 de parricidis, de furibus, atque cinaedis  
 182 nos faciet caeli subitos rasura colonos.  
 183 Dira suum numquam mutant aconita vigorem  
 184 vimque mali, quamvis auro gemmave bibantur ;  
 185 atque asinus, quamquam Tyrio conspectus in ostro,  
 186 semper erit tardus, lea saeva, dolosus ichneumon,  
 187 ursa vorax, avidus vultur, bos mitis, hirundo  
 188 garrule : sic animi non mores exuit atros  
 189 vestis Hyperboreas superans candore pruinas.  
 190 Nec simul exuviis positis Massyla venenum  
 191 vipera deponit, nec tigris monte relicto  
 192 mitior ingenio est : sic nec transcurrere montes,  
 193 aut mare, vel populi coetus vitare, vel atra  
 194 veste tegi aut nivea, coriove aut fune recingi,  
 195 aut mendicatum semper corrodere panem,  
 196 tubatae poterit mentis sedare tumultus.  
 197 Semper enim quocumque loco, quocumque recessu  
 198 degeris, usque licet Riphaeae frigora brumae  
 199 fugeris, aut calidam vicino sole Syenen,  
 200 te dolus et mentis malesuada cupido sequetur,  
 201 et vigil occultis cruciabere pectora curis.  
 202 Nec si marmoreis circumdatus undique claustris  
 203 fugeris aspectus hominum, te saeva relinquet  
 204 tempestas vesani animi ; te conscius horror

205 mentis aget vigilem ; tibi diras tristia formas  
 206 somnia nocte ferent ; te insano turgida fastu  
 207 gloria sublimem ventosis evehet alis,  
 208 dum furit effractis tandem perrumpere clatris.  
 209 Scilicet is nuper contemptus homuncio, qui nec  
 210 prima elementa sonis poterat distinguere certis,  
 211 et quem nec stabulo purgando, olidaeve popinae  
 212 praeficeres, rasmus, sophiaequae auctore cucullo  
 213 tectus, erit subito doctus, sapiens, et honestus,  
 214 et gravis, et prudens, jam de balatrone modestus,  
 215 de lenone pudens, et de latrone severus,  
 216 et frater superum, et caeli paene insitus aulae.  
 217 Frater dixit : ita est ; fratres vetuere : cavendum est.  
 218 Frater erit iudex. Causam committere non vis  
 219 fratribus ? In sanctos quicquam cave dicere fratres,  
 220 tantum juris habet cerebelli insania calvi.  
 221 Et miramur adhuc, simili si errore vetustas  
 222 crediderit Cadmo serpentis dentibus olim  
 223 esse satos comites, vel si Pagasaeus Iason  
 224 horruerit magicos terra praegnante tumultus ;  
 225 cum modo qui fuerat caprimulgus, tressis agaso,  
 226 scurra vagus, subito mutatus numine mentem,  
 227 fiat Aristoteles, Xenophon, Plato, Zeno, Cleanthes.  
 228 Nunc quibus haec studiis gens desidiosa popellum  
 229 captet, et in laqueos viduas trahat, omnia turbet,  
 230 involvatque orbem tenebris, et mobile vulgus  
 231 fascinet, occulto sensim serpente veneno,  
 232 si vacat, expediam : fraudes, ludibria, furta,  
 233 philtraque, et arcanas tibi pandere moliar artes.  
 234 Primum ubi detonso vesano vertice, caudex  
 235 qui fuerat, fit homo subitus, ceu vomere Tusco  
 236 erutus ille Tages, vates jam doctus in ipso  
 237 nascendi articulo : discit componere gressus,  
 238 cancellare manus, caput inclinare sinistrum,  
 239 versus humum spectare, oculis defigere limi  
 240 omnia, pallori similem confingere vultum,  
 241 sulphuris affuso circum os et tempora fumo ;  
 242 effugere occursus hominum, compescere risum  
 243 si quis adest, coram reticere, interque precandum  
 244 invitis oculis lacrimas simulare, boatu  
 245 rancidulo in templis nativum frangere cantum ;  
 246 cum bibitur, calicem digito cohibere sinistro,  
 247 conceptis verbis aperire et claudere portas,  
 248 conceptis verbis de somno surgere, mensam  
 249 ponere, adire, referre, jubere, orare, salutem  
 250 dicere, conceptis urinam reddere verbis ;  
 251 scire quibus nodis, et quot distinguere funem  
 252 fas sit, ubi facilis pateat venatio praedae,  
 253 quo pueros fallas, quo tu sermone puellas  
 254 in Venerem accendas, viduas quae retia captent ;  
 255 quo regum teneas aures, quae munera placent  
 256 terrarum dominos, quo vulgus mobile fuco  
 257 decipias, quibus aegrotos in limine vitae  
 258 illaquees verbis, et testamenta resignes.  
 259 Haec sunt Funigeræ miranda proemia sectae,  
 260 vera rudimenta, et sanctae praeludia vitae :

261 hoc est, cur aliquis patriam carosque propinquos  
 262 abneget, et dulces obliviscatur amicos,  
 263 cur vagus, exsul, inops, erro, peregrinus et exlex  
 264 more ferae toties mutet praesepe, tot annos  
 265 scurra procax currat, cunctos allatret, in omnes  
 266 saevus, blandus, atrox, inimicus, amicus, ut alvus  
 267 imperat : haec illis lex una et regula vitae est.  
 268 Haec ubi jam pravi docilis praecepta juventus  
 269 imbibit, et vitae sese devovit inertī,  
 270 protinus e calvo senior grege, lippus, inermis  
 271 gingivas, tremulusque manus, rugisque verendis,  
 272 incipit arcanae latebras evolvere sectae,  
 273 et sophiam abstrusam placidis recludere dictis :  
 274 "O juvenes, inquit, quos torti vincula funis,  
 275 quos tonsura eadem, soleaeque fenestra reclusae,  
 276 par votum, vestesque pares, atque otia jugunt.  
 277 Jam mihi vix raris variantur tempora canis,  
 278 vox fragilis, latus infirmum, gressusque labantes ;  
 279 jam prope decurso spatio spectare propinquam  
 280 fata jubent metam, jam quinquagesima messis  
 281 sub calido semper placide transacta cucullo,  
 282 liberat officiis vitae ; fortuna benigna  
 283 me tamen haud frustra longum servavit in aevum :  
 284 nam, ceu Tiresias Ithacum, Priameius heros  
 285 magnum Anchisiaden iterumque iterumque monebat  
 286 quos peteret tuto portus, quo flectere cursus  
 287 deberet, levibus fugeret quae litora velis.  
 288 Cur ego vos, animae nostrae pars maxima, amicis  
 289 non monitus hortet ? Digressum et pauca sub ipsum  
 290 edoceam ? Juvat exhaustos iterare labores,  
 291 et sulcata meis percurrere litora remis.  
 292 Principio cum vestra aetas sic mollibus umbris  
 293 sit fracta, ut nec bella pati, ne frangere remis  
 294 aequora, nec terram possit versare ligone,  
 295 et fuget Aonias socors ignavia Musas,  
 296 huc animos, juvenes, certatim advertite, et acri  
 297 mente Seraphinae mysteria discite sectae.  
 298 Sancta quidem certis fulcitur secta columnis,  
 299 e quibus in primis locuples Confessio largo  
 300 proventu est, gnarum non deceptura colonum :  
 301 ut seges agricolam fallat, pulsataque tristi  
 302 grandine vix raris spumet vindemia prelis,  
 303 et pecus abstulerit belli furor, unica numquam  
 304 artifici imponit Confessio callida docto.  
 305 Hoc telo armatus noster se regibus ordo  
 306 terribilem ostendit, solioque extrusit avito  
 307 quos visum est ; alios ad summa cacumina rerum  
 308 extulit, et multa stabilivit caede tribunal.  
 309 Namque ubi cunctorum sensus, secretaque mentis  
 310 noveris, in promptu est tibi conjurata fovere  
 311 pectora consiliis, timidumque in foedera vulgus  
 312 cogere, ut ignotas possint expendere vires,  
 313 vel proceres merito de te bene prodere regi.  
 314 Ergo (vos siquidem numerandi crimina cura  
 315 detineat) matrona locum ditissima primum  
 316 vindicet, aut dulci assuetus danista lucello ;

317 proxima mercator teneat loca ; tertius ordo  
 318 nobilium est, quos aut ditat quaesita rapinis  
 319 praeda, vel innocuo manus oblita sanguine civis  
 320 reddidit insignes. Post hos, aut divitis aulae  
 321 adsecla, aut famulus, ancilla, puella, puellus.  
 322 Sed neque lenonem, nec tu contemne latronem,  
 323 spes modo si lucri : qui nil quod donet habebit  
 324 "es korakas". Quis enim sterili committere sanus (grec translittéré)  
 325 semen agro curet ? Quis inanes irriget hortos ?  
 326 Hic ubi secretam penitus demissus in aulam  
 327 pectoris, arcana latebras cognoveris, omnes  
 328 tum facies rerum, tum vafrum Protea finge.  
 329 Cum tibi crediderit virgo, quod credere matri,  
 330 quod socius socio, quod nolit nupta marito,  
 331 tum pete securus quidvis, tum vincula captis  
 332 injice, tunc humeris quemvis superingere fascem.  
 333 Nam semel arcanae tibi penetralia mentis  
 334 nudavit, penitusque alto sub corde repostos  
 335 detexit sensus animi, timet, horret et odit,  
 336 quamvis dissimulet. Sed mens male conscia pallet,  
 337 ne commissa tegas male vino liber, et ira  
 338 commotus, magnoque satis non munere cultus.  
 339 Hoc tibi fertilior praeda est deprensa capistro,  
 340 posce, jube, rape, stringe, omnem dum spongia succum  
 341 egerat : exhaustumque penum in tua congere claustra.  
 342 Nec tamen aetatis, nec te discrimina sexus  
 343 praetereant. Primae quoniam lanuginis aetas  
 344 in Venerem est praeceps, lucris addicta senectus,  
 345 virgo capi facilis blandae dulcedine linguae,  
 346 vana superstitio mentes exercet aniles,  
 347 mercator dulci postponit numina lucro.  
 348 Si matrona potens, vel praedae victima opimae  
 349 incidit in casses, cautus confinge petendi  
 350 mille novas artes : caries annosa columnas  
 351 diruerit, sacram Boreas nudaverit aedem,  
 352 claustra latus magna pandant adaperta ruina ;  
 353 desint ligna foco, nemorum si dives abundet ;  
 354 si locuples agri est, atrum corrodere panem  
 355 finge tuos fratres, languescant pocula vappa :  
 356 rustica cortis aves, agnos, haedosque petulcos  
 357 mittat ; at urbanis sacrae pete stragula mensae,  
 358 posce sacras vestes, quodque oras ambiat aurum,  
 359 quod calicem fractum instauret, quod lignea pinat  
 360 signa, quod in vitreis possit splendere fenestris ;  
 361 det miles praedae partem, furtique latrones ;  
 362 mercator fulvis redimat perjuriam nummis.  
 363 Et quoniam tenerae nequeunt donare puellae  
 364 munera, dent quod habent, quod secure dare possunt :  
 365 quae data non pereunt, quae frustra non data perdunt.  
 366 Segnior in Venerem si qua est, accende monendo,  
 367 pande voluptatisque modos, formasque latentes,  
 368 quaerendoque doce Veneris quem nesciat usum.  
 369 Talia quaerenti facilem quae commodat aurem,  
 370 sit licet antiquis magis illa severa Sabinis,  
 371 nosse volet, notum quod posse juvare putabit.  
 372 Interdum tamquam cupias reprehendere luxum

373 vestis, et accensum gemmis quod fulgurat aurum,  
374 lacteolas furtim dextra constringe papillas,  
375 inque gradum fractos digito compone capillos,  
376 et pede tange pedem, dextram dextra, oribus ora :  
377 sic, dices, rides, sic molliter oscula jungis,  
378 oscula commissas inter luctantia linguas ;  
379 sic te tractandam praebes, tractataque gaudes,  
380 sic pede, sic digito, sic tu promittis ocello,  
381 hoc loqueris nutu, tali noctem abnuis ore ;  
382 sic per inoffensas graderis secura tenebras,  
383 sic aperis limen, sic nullo murmure claudis.  
384 Haec animo memori praecepta recondite, fratres.  
385 Quaeque locus tempusque dabunt, quae sexus et aetas  
386 permittent, hinc dives opum venit annua cura ;  
387 spesque voluptatum, carae sine crimine famae.  
388 Quod si quis sanctae fugiat commercia sectae,  
389 sentinamque tuae nolit mandare cloacae,  
390 illius ancillas, famulosque arcesse loquaces,  
391 inquire in mores, passim sere crimina, in aurem  
392 omnibus ogganni secreta piacula ; quod si  
393 criminibus non ulla locum fortuna ministret,  
394 actaque sincere constet pars maxima vitae,  
395 haereticum clama nitidum praetexere fucum  
396 occulti sceleris maculis tacitoque veneno.  
397 Sic hos in laqueos trepida formidine, et illos  
398 credulitate trahes, vel spe, vel fraude, vel arte,  
399 ut captum teneas intra tua retia piscem,  
400 grande scelus levibus contentus plectere poenis.  
401 Nec precibus longis lacrimisve piacula dele  
402 horrida, sed nummis loculos, non pectora fraude  
403 exhauri : vel templa jube, vel claustra, vel aras  
404 exstruat, aut multis redimat jejunia Messis.  
405 Hoc quoque praemoneo super omnia, corda juventae  
406 infice, sopitos accende libidinis ignes :  
407 semina flagitii in vacuo turgentia campo  
408 usque fove, plenos sceleris dum reddere fructus  
409 possint, et late in pingui regnare novali.  
410 Hic ager, haec seges est, haec nostrae vinea sectae.  
411 Hunc igitur multo scelerum pinguescere caeno  
412 effice, et infusis hunc exsaturato cloacis.  
413 Non tam Riphaeae metuenda injuria brumae,  
414 atque superfuso tellus submersa profundo,  
415 aridaque insolitis candens fervoribus astas,  
416 quam ne discussis tenebris resipiscere mundus  
417 incipiat, quam ne patefacto lumine veri  
418 inspiciat nostras plebecula stulta tenebras.  
419 Sed jam ruricolis labor impendendus, apricos  
420 jam lustrare juvat campos, perque ardua montium  
421 ire juga, et latos indagine claudere saltus.  
422 Ecquis, io juvenes, tenebris et inertibus umbris  
423 posthabitis, strepituque urbis, nigraque popina  
424 audet in arios nemorum conscendere tractus,  
425 Bacchatosque choris Nympharum accedere fontes,  
426 prataque purpurea semper renovata juvena ?  
427 O mihi si calido ferveret corpore sanguis  
428 integer, et validae vires, firmataque nervis



429 membra suis, quam prata libens et florea Tempe  
 430 aspicerem, et viridis captans umbracula silvae,  
 431 et tremulae leve murmur aquae, cantisque volucrum,  
 432 languida sepositis relevarem pectora curis !  
 433 Nunc quoniam haec nobis invidit serior aetas  
 434 commoda, et effoetis membris ignava voluptas,  
 435 vestrum opus hoc, juvenes, vestra haec vindemia, laxas  
 436 ferte plagas, laqueos innectite, tendite casses,  
 437 arvaque funigero resonent pecorosa molosso.  
 438 Primum igitur qui rura petis, si mollia tardo  
 439 membra labant aevo, (cum nos equitare parentis  
 440 Francisci praecepta vetent,) aut vilis aselli  
 441 aut hinni ambigui, aut sterilis preme tergora mulae ;  
 442 carpe viam pedibus juvenis, nec munera desint,  
 443 quae faciles capiant animos, pictaeve tabellae,  
 444 aut scelerum veniae, simulacrave plumbea, imago  
 445 chartea, vel paucis venalia munera nummis.  
 446 Nam neque piscator sapiens radiantibus auro  
 447 piscem hamis captat, nec serica retia tendit.  
 448 Saepe et odoratis oneretur mantica pomis,  
 449 saepe pirum, primamque manu decerpito ficum.  
 450 Pisce etiam piscis capitur, grus capta volantes  
 451 fallit saepe grues, nec sperni vilia credas  
 452 munera divitibus. Cernis quam parva feroces  
 453 vincla feras teneant, quam parvos currat ad hamos  
 454 mullus, virga tenet grandem viscata volucrem.  
 455 Adde, quod haud cunctis est utile retia silvis  
 456 tendere, nec mullus quavis capiatur in unda,  
 457 nec laqueo accipitres venatur callidus auceps,  
 458 nec Cererem dabit omnis ager, nec Massicus humor  
 459 aspera purpureis vestit dumeta racemis.  
 460 Dispice propterea quo tendas retia saltu,  
 461 cui laqueos praedae, quem fallat linea piscem.  
 462 Nec tibi sum (multis licet hoc arrideat) auctor  
 463 ut sacra dissimulet teneram rasura puellam,  
 464 quae fessa anxiferis solvat praecordia curis,  
 465 ambigua quamvis sexum mentita figura  
 466 decipiat multos ; tamen hinc discrimina mille,  
 467 mille manent casus : saepe haud frustrata sagaces  
 468 suspicio occulti pandit vestigia furti  
 469 saepe etiam laesi gravis imminet ira mariti,  
 470 persequiturque fugam, et rapta pro conjuge saevit  
 471 bella ciens : sacrae non illum infamia sectae,  
 472 non pudor, aut pietas poterit cohibere furentem.  
 473 Dedecus in vulgus profert, rumoribus iras  
 474 expiat ; in cunctas serpit nova fabula cenas.  
 475 Aut si turgidior movit praecordia bilis,  
 476 vel resecat ferro peccantia membra, vel arto  
 477 fune ligans tendit, vel terga caputque colurno  
 478 fuste domat, sanctam haud veritus temerare coronam.  
 479 Arbitror et vobis notum, quod contigit olim  
 480 Burdegalae, nec (si ignotum est) narrare pigebit.  
 481 Obfuit exemplum patribus, fortasse nepotes  
 482 instruet. Eximia quidam pietate probatus  
 483 frater erat, quo non quaestus studiosior alter,  
 484 nec magis edoctus laqueo implicuisse tenaci

485 pinguiculas viduas, stupidoque imponere vulgo.  
 486 Hic ubi jam multos praedator callidus annos  
 487 Santonicos lustrasset agros, et utrumque Garumnae  
 488 litus, et antiquae felicia rura Tolosae.  
 489 Tandem Burdegalam, fatis urgentibus, intrat  
 490 cum consorte viae, novies cui turgida pleno  
 491 orbe diem admorat partus Lucina propinqui.  
 492 Illa, rudis miles, tumidi dum crimina celat  
 493 jam matura uteri, colluctaturque dolori,  
 494 audet iter longosque viae perferre labores,  
 495 nec timet irato sese committere ponto :  
 496 tantus amor sacrae penitus se addicere sectae.  
 497 Ecce autem pronum dum findit pupe Garumnam,  
 498 fluctuat et tumidis pinus vexata procellis,  
 499 heu ! bene celati patefecit damna pudoris,  
 500 dum timor introrsus gemitusque et verba retentat,  
 501 dum labor in veras cogit prorumpere voces,  
 502 editus in mediis infans evagiit undis.  
 503 Pars facti novitate stupet, quodque audiit ipsa  
 504 vix audisse putat ; petulantior altera risu  
 505 personat. Ast alius tumida succensus ab ira,  
 506 in mare praecipitem monachum, et cum prole parentem  
 507 proturbare jubet, letoque abolere nefandum  
 508 dedecus, et monstro misera relevare carinam :  
 509 hinc tumidos fluctus, pontoque furente procellas,  
 510 ventorumque minas, et apertam Numinis iram.  
 511 Si quis adest animi pius, et moderatior irae,  
 512 occultare cupit facinus, parcitque benignus  
 513 errori, humanos prudens expendere lapsus,  
 514 agnoscitque suas alios in crimine vires.  
 515 Ergo dum trepidant discordia pectora vulgi,  
 516 nautarumque fremit per litora rauca tumultus,  
 517 infelix frater turbae sese insinuans clam  
 518 tramitibus caecis elabitur, oraque velans  
 519 vertice demisso peregrinas exsul ad urbes  
 520 maestus abit, poenasque domi, famaue sinistram  
 521 formidans, miseramque gemens cum prole puellam,  
 522 quam solam atque aegram nuda liquisset in acta,  
 523 inter inhumani risum et ludibria vulgi.  
 524 Ipse ego tum validus, viridique in flore juventae,  
 525 nec linguae nec vocis inops, nec flectere corda  
 526 plebis inexpertus stolidae rumore secundo,  
 527 vix tamen adversae gliscentia murmura famae  
 528 flectere, vix potui populi compescere voces,  
 529 saepe licet verbis factum exsecrarer amaris,  
 530 auctorem sceleris comitem licet esse Lutheri  
 531 jurarem sanctae latitantem nomine sectae.  
 532 Nec minus in terra comes est infamis Ibera  
 533 pusio, sed forsitan minus est formidinis illic,  
 534 quod veneris nullo produnt commercia partu.  
 535 Sed quid opus toties sese objectare periclis,  
 536 et non parsurae cuiquam committere famae,  
 537 cum liceat tuto, liceat rumore secundo  
 538 undique securos Veneris decerpere fructus ?  
 539 Neve mihi fatuas ruris sectare puellas,  
 540 custodesque gregis calido sub sole recoctas ;

541 sed si qua est matrona potens, et militis uxor  
542 in locuplete domo viduas exercita noctes,  
543 cum bello externis vir debacchatur in oris,  
544 interea vacuos valido tu Marte penates  
545 oppugna, nec blanditiis, nec parce querelis,  
546 nec precibus. Primus si non patefecerit arcem  
547 impetus, haud animi timidus frangere, sed infer  
548 arma audax ; viduae interdum miserere puellae,  
549 ingratum nunc finge virum cum pellice noctes  
550 ducere, deserto dum secubat illa cubili.  
551 Crede mihi, obsaepti perfringes claustra pudoris,  
552 atque aliquem invenies aditum, votoque frueris,  
553 praesertim occultos tibi cum confessio sensus  
554 nudet, et integrum non sit simulare pudorem.  
555 Sic tibi per cunctos grassari impune penates  
556 fas erit, et geminos pariter decerpere fructus.  
557 Namque ubi prostrati perrupit jura pudoris  
558 femina, neglecto redimet sua gaudia censu.  
559 Paene mihi exciderat, quod primum paene monere  
560 debueram gnavos ruris genialis alumnos,  
561 ut quid quaeque domus praestet, quid vir, mulierve  
562 quaeque, sit in memores id cura referre tabelas ;  
563 ne, nova cui fuerit provincia tradita forti,  
564 annua vel redimit qui vectigalia, vel qui  
565 hospes ad externas, ut fit, proficiscitur urbes,  
566 erret inops animi, dubius cenaeque larisque,  
567 quae petat ignarus, quae vitet tecta, quid inde  
568 speret, ubi certum faciant mendacia quaestum.  
569 Atque ubi successor te tardum exceperit aevo  
570 junior, huic tabulis descriptum tradere censum  
571 non satis, arcanis muliebria nomina saltem  
572 punge notis, si qua est animo obfirmata rebelli,  
573 si qua procax, simplex, incesta, proterva, benigna,  
574 cuique notent mores propriis discrimina signis.  
575 Sed me praeteritae suavissima mentio vitae  
576 longius ac volui tenuit. Pars maxima rerum  
577 restat adhuc, sanctae columen, caput, anchora sectae.  
578 Nam vaga sub certas comprehendere crimina formas,  
579 et se prodentes animi pernoscere mores  
580 artis opus modicae est, celerique addiscitur usu,  
581 inque peragrandis sola est industria villis.  
582 At vero e celsae sublimem sede cathedrae  
583 mille oculos in se intentos auresque tenere,  
584 et velut injectis tot circumflectere frenis  
585 ora hominum, et resides animos turbare tumultu,  
586 et molli alloquio trepidos componere motus,  
587 magnae mentis opus, cui sit solertia prudens,  
588 ingeniumque capax, projecta audacia, promptus  
589 sermo, pudor nullus, firmum latus, acer in ore  
590 cui vigor, et vocis sonus asper, lenis acerbus,  
591 ut res cumque feret ; cui vultus cereus, omnes  
592 transire in formas docilis, mens subdola, fallax,  
593 et recti pravique tenax, pro tempore fingat,  
594 dissimulet, simulet, praesens ubi postulat usus.  
595 Haec quotus in turbae quisque est tot millibus unus  
596 qui praestare potest ? Nisi si cui forte benignus

597 Deucalion raro finxit praecordia saxo.  
 598 Nec tamen expectet quisquam dum rhetora fingens  
 599 divitis eloquii prima incunabula pandam ;  
 600 et vulgata scholis passim praecepta recludam,  
 601 tradere quae possit trivialis cura magistri :  
 602 vos, o Calliope, precor aspirate canenti,  
 603 majus opus moveo, sed nec par devia Tullii,  
 604 aut Fabii longo te circumducere tractus,  
 605 aut per Aristotelis spineta asperrima conor ;  
 606 commodius patefiet iter, qua nulla salebra  
 607 offendet pulsata pedem, qua semita nostris  
 608 trista rotis noto deducet limite gressus,  
 609 mollia clivosi dirimens compendia prati.  
 610 Primum iter ingressus tenerum de fronte pudorem  
 611 excute, nec vacuae est umquam pudor utilis alvo,  
 612 nec decet audacem nisi ficta modestia scurram.  
 613 Quod si naturae vitio male firma ruborem  
 614 frons trahit, et subitas confundit purpura malas,  
 615 tum tibi vel frictus, vel Bacchi largior usus,  
 616 curaque et assiduae meditatio garrula rixae  
 617 durabit solidum rubicunda per ora cruorem.  
 618 Nec te grammaticas opus est ediscere nugas,  
 619 et tetricis languere scholis, tantum elige gnomas  
 620 priscorum et libris paucas : tria commata Tullii,  
 621 Virgilii totidem versus, vel carmen Horatii  
 622 dimidium ; haec omnis ceu condimenta loquelae  
 623 semper habe in promptu, sic crescet opinio, surget  
 624 hinc decus, et stupidi magna admiratio vulgi.  
 625 Novi ego, qui tantum ter quinque Latina teneret  
 626 verba, sed ingenii sic dexteritate valebat,  
 627 ut quocumque loco, de re quacumque, parata  
 628 semper et ad nutum posita in statione teneret :  
 629 "tauta Apameibomenos". Nec te vox barbara turbet, (grec  
 translittéré)  
 630 aut temere erumpens lingua titubante soloecus :  
 631 tot sanctos oppone patres, mysteria sacra  
 632 turpe est grammaticis submittere colla capistris.  
 633 Nec mihi displiceat primo muliebria passus  
 634 flore aevi ; hinc effrons audacia nascitur, atque  
 635 femineum in morem rixandi insana voluptas.  
 636 Cura sit in primis tibi linguam armare veneno  
 637 verborum, Aetna animas, animas tibi torreat Hecla,  
 638 Tartara sulphureis volvant incendia fumis  
 639 mixta, tibi nigris Phlegethontias unda cerastis  
 640 bulliat, et miseras lacerent cacodaemones umbras,  
 641 donec fracta crepent longis sub dentibus ossa.  
 642 Nec minus horrendos purgatrix flamma vapores  
 643 evomat, aeterno nisi quod non astuet igne,  
 644 sed precibus vinci queat, et lustralibus undis  
 645 exstingui, Bullis minui, Missisque levari.  
 646 Hic ager est dives, nostrique colonia Papae ;  
 647 nectaris hic fons est, haec vectigalia nostri  
 648 ordinis, haec fatuo tenduntur retia vulgo.  
 649 Ista relegatos caelesti a limine manes  
 650 contineat sedes, donec mercede soluta  
 651 extrahat e calida excoctos fornace, sacerdos.

652 Is musset Missas, veniis venetur, et undis  
653 irrorans magicis findat cava busta susurris ;  
654 sed tantum dites cruciatu liberet umbras.  
655 Ista tibi ad populum clamanti silva ministret  
656 tela ; nec ut desint metuas, dum scripta manebunt  
657 Virgilii, dum Lombardi rhapsodia, Tusci  
658 nugae Antonini, sacri commenta legentur  
659 Gregorii, vel mendici mendacia Thomae.  
660 Neve ruant lapsis tam ditia tecta columnis,  
661 quae super aeternam posita est Ecclesia petram,  
662 tu Petrum super aedifica, qui claudere caelum,  
663 Tartara qui solus possit, nec Tartara tantum  
664 solvere, sed loculos fatuorum, arcae sed avarae  
665 vincula, sed stantem plenum ad praesepe juvencam.  
666 Haec qui sacrilegis ausit convellere verbis  
667 schismaticus sit et haereticus, sit torris Avernae  
668 ollae, opifex scelerum, Furiarum filius, Orci  
669 germen, et in mentem quicquid tibi splendida bilis  
670 suggeret ; huc omnes tonitrus, huc fulgura linguae  
671 congere, proque focis hic depugnetur et aris.  
672 Frigida tu Christi et comitum praecepta severis  
673 linque scholis : aut si quis adhuc antiqua requirat  
674 antiquarius, et veterum jejunia patrum,  
675 tu, mihi crede, tuae semper memor esto culinae.  
676 Et quoniam in proceres vulgus maledicta libenter  
677 accipit, et fandi haec late patet area : bella,  
678 furta, latrocinia, et vis, fraus, injuria, caedes,  
679 atque ingens scelerum semper sese offeret agmen :  
680 illic tela tuae poteris distringere linguae.  
681 Res tamen haec populo longe est gratissima, quando  
682 ordo sacerdotum est acri perfusus aceto ;  
683 nec locus est alius fecundior, ut neque in ulla  
684 parte magis vitae regnante libidine taetra.  
685 Hic et crassorum licet abdomen monachorum  
686 arripere, hic luxum caeloque minantia tecta  
687 Pontificum, fractique malis alimenta popelli  
688 in fumum et cinerem conversa, domestica castra  
689 scortorum, scelerum artifices, mollesque cinaedos,  
690 lenones, scurras, baltrones, psallere doctos  
691 semiviros, gestire manu, pede plaudere terram,  
692 et condire novis exotica fercula succis ;  
693 praesulis haec sancti quando est non ultima virtus  
694 majorum a magna non degenerare culina.  
695 Interea fac stet mendicus ad ostia Christus,  
696 imploretque fidem vinosi antistitis algens,  
697 et sitiens, saniemque uno non ulcere stillans,  
698 nec ferat ullus opem, nisi forte canicula blanda  
699 et saturo domino clementior ulcera lambat.  
700 Hic poteris totum Bernardum effundere, manes  
701 ex Acheronte ciere, animaeque audire querelas  
702 implorantis opem. Sed quid numeramus arenam  
703 litoris ? Hic numquam, mihi crede, oratio deerit,  
704 dum Papa omnipotens Capitoli immobile saxum  
705 accolet, imperiumque Pater coleatus habebit.  
706 Ne nimium Sodomam tamen infamemque Gomorram  
707ingere, doctores ne culpa redarguat ipsos.

708       Hac ubi jam fueris sat debacchatus arena,  
 709       et proceres licuit populo laniare secundo,  
 710       collige paulatim tete, proceresque jacentes  
 711       erige : sint fontes, et nullo a crimine puri ;  
 712       non tamen his cuivis fas obgannire, nec arto  
 713       solvere colla jugo, quamvis moderetur habenas  
 714       sacrilegus Judas, Romanaque templa gubernet,  
 715       trudat et innumeros ad pallida tartara manes,  
 716       privato mutire nefas ; rapiatque feratque,  
 717       et laceret totum convulso cardine mundum :  
 718       tu tacitus specta, (dices) mundique ruentis  
 719       vindictam permitte deo ; citiusque parentis  
 720       invalidi jugulum ferro reclude, profana  
 721       quam violes dextra rasi male sanus honorem  
 722       verticis ; uxorem quamvis manifestus adulter,  
 723       et natos natasque tuas compresserit, et te :  
 724       sed nube, atque tace potius, nullumque recuses  
 725       flagitium, quam traducas quos unctio sanctos  
 726       et rasura facit, sacraeque licentia Bullae.  
 727       His ubi praeceptis molles calfeceris aures,  
 728       tum licet adjicias magnae primordia Missae,  
 729       quoque sacerdotum gentem decoravit honore  
 730       caelituum pater, ut soli sibi fingere numen  
 731       murmure verborum possint, tenuique farinae  
 732       et massa generare Deum, genitumque repente  
 733       frangere, sacrato fractum mersare falerno,  
 734       visceraque et carnes, cumque albis ossa medullis,  
 735       semianimesque artus avidam demergere in alvum.  
 736       Tanta sacerdoti cum sit permissa potestas,  
 737       quam neque purpurei possint sibi sumere reges,  
 738       quisquis et aetherios bonus angelus incolit orbes,  
 739       quisquis et infernas malus angelus incolit umbras,  
 740       de pane ut numen faciant, de numine "phi phi".  
 741       Unde homini fragili haec projecta audacia, ut ausit  
 742       Christophorum vel Christovorum violare nefando  
 743       sacrificum verbo, aut sceleratam impingere dextram ?  
 744       Sic in sacrificos jaciens convicia, vulgus  
 745       conciliare potes, sic rursus avertere laesi  
 746       iram sacrifici poteris, cum numinis instar  
 747       efficies sacrosanctum, atque a formidine duri  
 748       judicis exemptum, quamvis fregisse paternum  
 749       vicini clament jugulum, matrisque morantis  
 750       vota Sibyllinam laqueo finisse senectam.  
 751       Nam velut ex usu est cunctis afferre timorem  
 752       ordinibus, cunctos sic conciliare necesse est,  
 753       unde vel exigui fulgebit specula lucri.  
 754       Unum illud moneo, atque iterumque iterumque monebo,  
 755       et tamen haud umquam monitum satis esse putabo :  
 756       Tarsensis fuge scripta senis, fuge toxica nostri  
 757       ordinis. O primis utinam periisset in annis !  
 758       Aut mansisset adhuc hostis ! Licet, ante renatus  
 759       vivifica quam lympha esset, tam multa dedisset  
 760       funera grassatus ferro, ingentique procella  
 761       afflixisset adhuc tenerum pietatis ovile ;  
 762       plus tamen adscriptus nobis, plus factus amicus  
 763       obfuit : et nisi Funigeri praesaga parentis

764 (cornua cui nomen dederant) oracula fallant,  
765 tempus erit, cum Paulinis male credula scriptis  
766 turba sacerdotes templis expellet et aris ;  
767 quaeque prope in terris aedes imitantur Olympum  
768 diruet, et cineres divorum atque ossa profundo  
769 merget, et immisso victricis lumine veri,  
770 ostendet populo mysteria nostra profano.  
771 Illa meo, siquidem ventura est, serior aevo  
772 hora precor veniat. Sed vos, quibus imminet ingens  
773 tempestas, vigilare decet, cunctosque monere  
774 opportune, importune, ne incauta juvenus  
775 occulta attingat prorsus mysteria Pauli,  
776 neve in vulgares vesana audacia linguas  
777 transferat, indocto non committenda popello.  
778 Quae quia non penitus fas est abolere, probata  
779 tot serie annorum, (quae cautio proxima) saltem  
780 efficite, ut vulgus tenebris velut abdita caecis  
781 Sorbonae haec senibus lippis tractanda relinquat,  
782 sed tum cum resides acuerunt pocula sensus.  
783 Nostra licet super has sit secta exstructa columnas  
784 praecipue, non pauca tamen, nec parva supersunt,  
785 sed prope jam vulgata, nec artis egentia nostrae,  
786 nec vocis ; sed quisque sibi quae tradat, et usu  
787 addiscat, thalamos ceu conciliare jugales,  
788 aut male conjunctas causando solvere taedas ;  
789 aut ubi deprenso rupta est concordia moechno,  
790 uxori a duro veniam impetrare marito.  
791 Illa tamen patribus seges olim uberrima nostris,  
792 fingere nocturnos lemures, manesque vagantes  
793 lustrali compescere aqua, magicisque susurris,  
794 frigida nunc tota est ; postquam nasuta juvenus  
795 pectora crassorum male credula ridet avorum,  
796 nec credit nisi quae Scriptura teste probaris ;  
797 conjurata licet magnis Sorbona figillis  
798 figmenta affirmet. Verum melioribus annis  
799 haec thalami clausas frangebant machina portas,  
800 haec testamenti tabulas mutabat, et ibat  
801 vir peregre Romam, aut Solymam, dum taedia moechum  
802 jam sibi permissi caperent lecti ; ast ubi dives  
803 umbra oblita sui paucas in funera Missas  
804 legarat, potiusque suis bona linquere natis  
805 duxerat excedens, quam nostros ungere caules,  
806 non impune nefas soliti id perferre priores.  
807 Is dolor arma dedit generosis fratribus undam  
808 ad Ligeris, qua dives agri, qua dives Iacchi  
809 ostentat longe formosa Aurelia tures.  
810 Et nisi cauta parum pietas in fraude paranda  
811 inter tot vigiles Argos deprensa fuisset,  
812 partus honor nostrae foret et dignatio sectae.  
813 Saepe quidem nobis facimus mala multa, velut cum  
814 alter in alterius damnum sese ordinis armat.  
815 Berna novum sibi Franciscum jam finxerat, et jam  
816 stigmata clara pedum et manuum confixa patebant ;  
817 ni vicina dolens augescere commoda livor  
818 ficta renudasset magno ludibria risu,  
819 nec damno levioe Italae sapientia major

820 illa orae, quae Senensis tacite Catharinae  
821 vulnera dissimulans, pensat mendacia quaestu,  
822 Barbaricumque ad sese his artibus attrahit aurum.  
823 Sed tamen hoc aevo temere miracula fingi  
824 noluerim, nisi monticolas inter crassosque  
825 pastores ; nec pastores jam spernere tutum est,  
826 quando etiam in solas migrat sapientia silvas.  
827 Quis rigidos Scotos gelidi sub vertice caeli  
828 aut animum, aut aures, oculosve habuisse putasset ?  
829 Et tamen ille catus vetularum Langius aiceps,  
830 cum teter locus errori et nox caeca faveret,  
831 non potuit celare piae ludibria fraudis.  
832 Campus erat late incultus, non floribus horti  
833 arrident, non messe agri, non frondibus arbos,  
834 vix sterilis siccis vestitur arena myricis,  
835 et pecorum rara in solis vestigia terris :  
836 vicini "Deserta" vocant. Ibi saxea subter  
837 antra tegunt nigras Vulcania semina cautes :  
838 sulphureis passim concepta incendia venis  
839 fumiferam volvunt nebulam, piceoque vapore  
840 semper anhelat humus ; caecisque inclusa cavernis  
841 flamma furens, dum luctando penetrare sub auras  
842 conatur, totis passim spiracula campis  
843 findit, et ingenti tellurem pandit hiatu :  
844 taeter odor, tristisque habitus faciesque locorum.  
845 Illic saepe animas torqueri Langius, illic  
846 saepe queri et longas in fletum ducere voces  
847 audiit, aut voluit credi audivisse frequenter,  
848 et vitulabundos cacodaemonas, et per arenas  
849 caudarum longos sinuatim ducere tractus.  
850 Saepe etiam infernae, quoties jejunos adibat  
851 antra, sibi visus nidorem haurire culinae.  
852 Hic ubi jam vulgi stolidas rumoribus aures  
853 imbuerat, parat exorcismum : circulus ingens  
854 ducitur, hunc intra spatio brevioribus minores.  
855 In medio stabat palus, juxtaque catinus  
856 plenus aquae, sed cui cineremque salemque sacerdos  
857 addiderat multo cum murmure, nec sine anhelis  
858 flatibus. Hoc postquam scena est instructa paratu,  
859 Langius ipse pater sacro venerandus amictu,  
860 circum omnem irrorat setosi aspergine sceptri,  
861 verbaque praecipiti contortuplicata rotatu  
862 convolvens, caelum ac terras adjurat et undas,  
863 et tremefacta imis Acherontia regna cavernis.  
864 Et jam nox aderat secreti conscia sacri,  
865 jamque e vicinis populus convenerat agris,  
866 matres atque viri, pueri innuptaeque puellae,  
867 scire avidi quo tanta cadant promissa ; nisi ille  
868 conscia secreti formidans lumina et aures,  
869 esse procul magna jussisset voce profanos ;  
870 quive sacerdoti non illa luce diserte  
871 cuncta susurrasset taciturnam crimina in aurem.  
872 Laica ne trepidi fugiant commercia manes,  
873 neve inhians praedae vel jejunos cacodaemon  
874 involet, et laceret sceleratorum unguibus artus.  
875 Ducitur ad palum velut hostia rusticus ipse,



876 ficta quidem gnarus cuncta, at formidine tanta  
877 attonitus quam si Stygia egressurus ab alno  
878 aspiciat nudas mandentem Cerberon umbras ;  
879 sive animo timor a puero conceptus, aniles  
880 fabellae haud modicus pueris plorantibus horror,  
881 sive locus fumo et caeca caligine opacus,  
882 et velut infernae terrebat imago culinae.  
883 Cetera submoto clam cuncta peracta popello,  
884 sed tamen audiri gemitus, vocesque minantis  
885 daemonibus, mixtaeque preces, nulloque rogante  
886 interdum responsa dari : nunc tollere vultus  
887 in caelum, nunc figere humi, nunc plangere pectus  
888 Langius, et sacra templum conspergere lympha,  
889 donec avis lucis praenuntia spectra moneret  
890 cedere, et in veterem se denuo condere nidum.  
891 Tum templo egressi, dicenda tacenda referre  
892 Langius, umbrarum poenas, flammae rapidam vim  
893 lustralis : quot carnifices cacodaemones ollas  
894 admoveant, verubus quot figant, fluctibus umbras  
895 quot mersent gelidis, quot Missis cui relevetur  
896 poena, velut civis Stygio vixisset Averno,  
897 ordine cuncta recensebat ; neque credula deerat  
898 turba homini : purgatricis rediviva favillae  
899 gloria crescebat, multum indignate Luthero.  
900 Et crevisset adhuc, nisi vel formidine captus,  
901 vel pretio victus, vel vino, rusticus ille  
902 anormis comes, exorcismi proditor, eheu !  
903 Cuncta revelasset taciti mendacia sacri.  
904 Ex illo fluere, et retro sublapsa referri  
905 spes praedae, et nimium vivacis gloria veri  
906 crescere. Quapropter, moneo, dehinc fingite parce  
907 somnia, nocturnos lemures, miracula, ni fors  
908 aur apud extremos fieri dicantur Iberos,  
909 Americosve, aut Aethiopas, calidove sub axe,  
910 et caput ignotis ubi Nilus condit arenis,  
911 unde aderit nemo, qui testis dicta refutet.  
912 Forsitan externos solertia fugerit hostes  
913 callida ; sed pestem natam intra viscer, et ipsis  
914 haerentem venis hominum vix ulla cavebit  
915 cura : nisi nostros vis provida numinis olim  
916 respexisset avos, jamdudum funiger ordo  
917 proditus a propriis misere periisset alumnis.  
918 Si quis erit fratrum qui suasu daemonis ausit  
919 efferre in vulgus mysteria condita, fraudes  
920 occultas, ritus nocturni arcana, negatum  
921 depositum, caesa post stupra nefanda puellas,  
922 quicquid et exstinctis frater patrare lucernis  
923 in fratres solet imberbes, haec prodere si quis  
924 audeat, extemplo scelerato sanguine poenas  
925 solvat, et aeterna compostus pace quiescat.  
926 Haec sunt, quae nostro liceat sermone monere."  
927 Et jam plena epulis mensarum fercula fumant,  
928 latrantemque fame stomachum prope verba relinquunt.  
929 Hactenus Eubulus, qui facta nefanda perosus,  
930 funigerum poenas etiam meruebat acerbas,  
931 orgia non veritus populo evulgare profano.

932 Is mihi carminibus lustrato, et sulphure, et ovo,  
933 et viva rorato unda, cerebrata fugavit  
934 somnia de rasis, de cannabe, deque cucullis ;  
935 inque hominum nugis ad lucra nefaria fictis,  
936 nulla esse ad vitam docuit momenta beatam.